



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 1. Quorundam antiquorum præclarè dicta de providentiâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

TRACTATUS
DE
FIDUCIA IN DEVM.
LIBER II.

DE
Motivis Fiduciæ in Deum,
Proœmium.

§. I.

*Quorundam antiquorum præclarè dicta de
Providentiâ.*

QUAMVIS non esset in mundo Providen-
tia, dicebat non nemo ex veteribus, in-
teresset tamen plurimum ad quietem ac so-
latium, fallere, si fieri posset, seipsum, certo-
que sibi persuadere ens aliquod supremum
existere undique diffusum, qui esset creator,
conseruator atque rerum omnium admini-
strator super omnia & in omnibus maximus.
Aut fingere sibi cum sapientissimis Hebræo-
rum Ribbi in apoph. Hebræ. oculum semper
vigilantem, & respicientem omnia: manum
omnipotentem, & amplectentem omnia, spi-
ri-

ritum infinitum gubernantem & dirigentem
singula ad constitutum finem. Ad hoc velut
alludens S. Augustinus: *Ego dico, inquit, quod
Deus totus est oculus, totus manus, totus pes,
quia omnia videt, omnia operatur, & ubique
est.* Verum quæ Dei gratia est, adumbratis
picturis, vanis persuasionibus, aut falsis ratio-
nibus opus non est ad probandam hanc veri-
tatem. Ut enim testatus olim fuit Apostolus
populis Lycaonicæ in celebri quadam con-
tione: *non sine testimonio semetipsum reliquit.*
Act. 14. Probationes undique suppetunt tam
evidentes, tam firmæ ac certæ de divinâ pro-
videntiâ; sacrarum testimonia scripturarum
tam sunt hac de re luculenta, & creaturarum
voces omnium tam manifestæ atque unani-
mes, ut stupidiorem esse trunco aut saxo quo-
vis duriorum necesse sit, quisquis hic convi-
ctus non assentitur. Vel unius Dei operis con-
sideratio Epicteti philosophi iudicio suffice-
ret homini prudenti & circumspecto ad cog-
noscendam hanc providentiam non sine sin-
gulari animi voluptate, quam perciperet
sub eius se videns gubernatione
constitutum.

S. A.